



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Solvitur primum argumentum, & ostenditur Christi satisfactionem
fuisse ad alternum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

picit perfectam æqualitatem. Minor etiam non est minus evidens, quia æqualitas est relatio realis, necessario requirens extrema realiter distincta.

81. Secunda est, quod non fundetur in gratia creditoris, tunc enim non ex iustitia, sed ex gratia esset ipsa satisfactio: quo sensu autem hoc intelligendum sit, infra §. 3. declarabitur.

82. Tertia conditio rigorosæ satisfactionis est, quod fiat ex bonis debitoris: cum enim per omnem satisfactionem rigorosam, debeat fieri perfecta æqualitas, oportet quod ille cui fit satisfactio, acquirat dominium alicujus rei quod antea non habebat, saltem eo modo quo in satisfactionem exhibetur, alias eadem maneret in æqualitas quæ ante satisfactionem erat. Dixi, eodem modo, quia contingere potest quod creditor habeat dominium directum & supremum rei quæ ipsi in satisfactionem a debitore offertur, & quod per illam satisfactionem acquirat in eam dominium utile: v. g. si vassallus debeat centum nummos domino, potest illi satisfacere de toto rigore iustitiæ, ipsi dando in compensationem illius summæ agrum aut vineam quam possidet, & cujus dominium tantum utile habet; quia in tali casu creditor acquirit in illum agrum, aliquod dominium speciale, scilicet utile, quod antea non habebat.

83. Quarta conditio est, ut satisfactio non fiat ex alijs per se debitis, id est bonis, quæ nullo alio titulo debeantur creditori; hoc enim ad faciendam perfectam inter debitorem & creditorem æqualitatem, omnino necessarium est: si enim aliquis debeat alteri centum nummos, titulo venditionis, puta quia emit ab ipso agrum; & præterea illi debeat centum nummos, titulo mutui, quia hanc summam pecuniariam ab illo mutuo accepit; non faceret perfectam æqualitatem cum creditore, nec per consequens illi satisfaceret de rigore iustitiæ, si tantum centum nummos illi exhiberet; posset enim creditor illos acceptare pro uno solo titulo, & sic debitor semper maneret obligatus alio titulo, ad similem summam illi persolvendam.

84. Adverte autem diligenter, me ex industria dixisse satisfactionem rigorosam non debere fieri ex alijs per se debitis; quia dupliciter potest aliquis titulus alteri supervenire: primo per se & seorsim, novam afferendo secum obligationem; secundo per accidens & conjunctim, & in confirmationem prioris obligationis. Exemplum primi est, si quis vovisset dare centum nummos aureos Ecclesiæ, & postea ex decimis deberet alios centum; quia titulus quo debet decimas, se habet per se, & est seorsim obligatorius, non satisfaceret dando tantum centum. Exemplum verò secundi assignari potest in eo qui voveret se soluturum decimas: tunc enim votum per accidens conjungeretur obligationi solvendarum decimarum, nec novam induceret obligationem, sed priorem tantum confirmaret & roboraret. Quando ergo dicimus quod satisfactio rigorosa debet fieri ex non debitis, hoc intelligendum est per se & seorsim, non autem per accidens & conjunctim. Si quis enim juraret se alteri daturum centum nummos in satisfactionem pecuniariam ad quam damnatus est, tunc iste tribus titulis teneretur solvere hanc summam pecuniæ; scilicet titulo religionis, iustitiæ, & obedientiæ, nec tamen propterea obligaretur ad solvendum trecentos nummos, sed sufficeret quod solveret centum; quia tituli religionis

A & obedientiæ, in tali casu, non essent seorsim & per se obligatorii, sed solum confirmativi præcedentis obligationis. His præmissis.

Dico, satisfactionem Christi fuisse de toto rigore iustitiæ, seu habuisse omnes conditiones ad satisfactionem rigorosam requisitas. Hæc conclusio, nec melius, nec aliter probari potest, quam examinando seorsim & in particulari singulas conditiones, & solvendo argumenta quæ adducuntur ad ostendendum aliquam ex illis satisfactioni Christi non competere.

§. II.

Solvitur primum argumentum, & ostenditur Christi satisfactionem fuisse ad alterum.

C Contra nostram conclusionem arguitur primo: Ad satisfactionem de rigore iustitiæ, requiritur quod sit ad alterum: Sed Christi satisfactio non fuit ad alterum: Ergo non fuit de rigore iustitiæ. Major patet ex supra dictis, Minor probatur. Sive enim Christus Deo satisfaceret, sive personis divinis, non erat extremum ab illis distinctum. In primis enim a Deo non distinguitur, cum ipse sit Deus; deinde etiam est una ex personis divinis cui satisfactio fieri debet: Ergo satisfactio Christi non fuit ad alterum.

C Huic argumento respondebant olim quidam antiqui Theologi, Christum non Deo satisfacisse, sed Patri, a quo personaliter distinguitur; & sic facile sustinebant, satisfactionem Christi fuisse ad alterum.

Verum hæc solutio sustineri nequit, & communiter rejicitur. Primo quia illi debet fieri satisfactio contra quem est offensa: Sed offensa est contra Deum subsistentem in tribus personis, cujus violatur jus, & qui est unus ultimus finis, a quo peccatum avertit, unusque legislator, cujus præceptum contemnitur: Ergo Christus non satisfacit solum Patri, sed primo satisfacit Deo ut subsistenti in tribus personis, secundario verò ipsis personis Sanctissimæ Trinitatis.

D Secundo, Illi fit satisfactio, qui offensam remittit, & largitur gratiam: At offensam remittere, & gratiam largiri, non competit per se primo Patri, sed Deo, & ex consequenti omnibus personis divinis: Ergo &c.

E Tercio, ex hac responsione sequitur Verbum omnino gratis, Patrem autem ex iustitia remittere offensam hominibus: Sed hoc absurdum est, & omnino impossibile, cum actus remittendi offensam sit actus voluntatis divinæ, non notionalis, sed absolutæ, quæ est communis omnibus divinis personis: Ergo &c. Sequela patet, nam solus ille ex iustitia remittit offensam, cui exhibetur satisfactio: Ergo si satisfactio Christi, quæ sola potuit esse condigna, non fuit facta Verbo, sed Patri, solus Pater remittit offensam ex iustitia, Verbum autem omnino gratis.

Denique ex hac solutione sequitur, satisfactionem Christi condignam & perfectam non fuisse, cujus oppositum art. 2. ostendimus. Sequela probatur: Satisfactio per quam non fit satis omni creditori, condigna & perfecta non est: At juxta hanc solutionem, Christus suâ satisfactione non satisfacit sibi, qui creditor est, utpote per hominum peccata offensus: Ergo satisfactio illius condigna & perfecta non fuit.

Respondent secundo alij, de ratione iustitiæ inter homines esse quod inter extrema realiter distincta

stincta versetur, non autem de ratione justitiæ Christo convenientis in ordine ad Deum; quia cum hæc altioris ordinis sit, non petit istas conditiones quas justitia inter homines postulat.

89. Sed hæc etiam solutio displicet: Tum quia si conditionem istam quam Aristoteles 5. Ethic. cap. 1. 2. & 6. & D. Thomas 2. 2. qu. 57. art. 1. & 58. art. 1. & 2. pro rigoroſa justitia assignarunt, negetur competere justitiæ Christi ad Deum, quia altioris ordinis est; eadem ratione omnes alias conditiones ad rigoroſam justitiam requisitas, ei negare licebit. Tum etiam, quia ratio ob quam justitia realem distinctionem exposcit, est quia petit versari inter extrema distinctorum jurium, & distinctio jurium postulat distinctionem personarum, vel saltem distinctionem naturarum subsistentium in eadem persona, ut infra declarabimus: At hæc ratio militat in omni justitia: Ergo & justitiæ Christi ad Deum competere debet.

90. Respondent tertiò alij cum Vega lib. 7. in Trident. cap. 9. & Vazque hic disp. 8. cap. 7. satisfactionem Christi fuisse ad alterum, quia humanitas ipsa satisfecit, non solum ut quo, sed etiã ut quod; ita ut supposito Verbi Divini, solum remotè, & per communicationem idiomatum, satisfactio tribuatur: inter hominem autem & Deum cui fit satisfactio, realis distinctio invenitur.

91. Sed nec etiam ista solutio placet. Primò quia in Scriptura satisfactio tribuitur Christo, ut patet ex illo ad Galatas 3. *Christus nos redemit de male dicto legis*, & ex isto 1. ad Timoth. 2. *Vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*. Sed ut vera sit hæc propositio, *Christus satisfecit pro nobis*, convenire debet ut quod satisfactio Verbo, ut subsistenti in humanitate: Ergo &c. Minor probatur: Nomen concretum, non pro natura, sed pro subsistente in illa, supponit, ut docet D. Thomas infra qu. 16. art. 1. 2. 8. 9. & 10. At Christus est nomen concretum: Ergo non pro humanitate, sed pro Verbo ut in illa subsistente supponit.

92. Secundò, De illo verificatur cum proprietate pro nobis satisfecisse, de quo est verum cum proprietate dicere mortuum & sepultum esse: At solum de supposito Verbi, ut in humanitate subsistente, non verò de humanitate ipsa, cum proprietate dicitur esse mortuum & sepultum: Ergo non de humanitate, sed de supposito Verbi, ut in illa subsistente, cum proprietate affirmatur pro nobis satisfecisse. Major patet, Minor probatur. Mori convenit illi soli cui convenit nasci: At hoc solum de hypostasi cum proprietate dicitur, ut docet D. Thomas infra quæst. 15. art. 1. Ergo solum de supposito Verbi, ut subsistente in humanitate, cum proprietate affirmatur mortuum & sepultum esse.

93. Tertiò, Si suppositum Verbi Divini, solum remotè & per communicationem idiomatum satisfecit pro nobis, sequitur quod non habuerit aliam vel majorem efficientiam, comparatione ejusdem satisfactionis, quam humanitas Christi in concreto habeat respectu creationis universi: Sed hoc falsum & absurdum est, nam Divinum Verbi suppositum, verè influebat in actus satisfactorios, licet mediante naturâ humanâ; at verò humanitas Christi nullum influxum habuit in creatione mundi: Ergo &c. Sequela probatur: Per communicationem idiomatum vera est hæc propositio, *Hic homo* (demonstrato Christo) *creavit universum*: Ergo si eodem modo per solam communicationem idiomatum verificatur remotè de supposito Verbi incarnati, quod satisfecerit

Tom. IV.

A de condigno pro peccatis nostris, sequitur quod suppositum Verbi incarnati non habuerit aliam vel majorem efficientiam comparatione redemptionis nostræ, quam habuerit humanitas Christi, respectu creationis mundi.

Quartò, Actiones sunt suppositorum, seu subsistentium: At satisfactio est actio: Ergo non humanitati, sed Verbo in illa subsistenti, convenit ut quod. Minor patet, Major verò in qua est difficultas ostenditur ex D. Thoma in 1. dist. 5. quæst. 1. art. 1. ubi ait: *Actiones sunt suppositorum, & essentia non agit, sed est principium actus in supposito, non enim humanitas generat, sed Sortes virtute sua natura*. Idem docet Joannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. indeque probat, assentiente Concilio, divinitatem non generare, quia actiones sunt suppositorum: divinitas autem non est suppositum: Ergo ex mente D. Thomæ, & Joannis Theologi, naturæ non convenit agere ut quod, sed supposito.

Confirmatur: Non aliter concurret natura creata ad proprias operationes, quam natura increata ad operationes increatas: Sed natura divina increata non concurret ad suas operationes ut quod, sed ut quo, aliàs hæc esset vera, *Deitas generat deitatem*, quod est hæreticum: Ergo natura creata, ad proprias operationes non ut quod, sed solum ut quo concurret.

C Confirmatur ampliùs: Cum operari sequatur ad esse, ei propriè & simpliciter convenit operari ut quod, cui propriè convenit esse ut quod: At naturæ non convenit esse ut quod, sed tantum ut quo, benè autem supposito; natura enim non intelligitur completa ad existendum, nisi terminetur per subsistentiam; sicut nec accidens ad existendum completum intelligitur, nisi mediâ inhærentiâ ad subjectum: Ergo natura non est principium quod operationis, sed tantum suppositum.

Relictis igitur his solutionibus, ad argumentum respondeo, distinguendo Majorem: Ad satisfactionem de rigore justitiæ, requiritur quod sit ad alium, differentiâ reali suppositi, nego Majorem. Differentiâ reali naturæ, concedo Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam licet inter Christum, ut satisfaciendum, & Deum cui fit satisfactio, non intercedat diversitas realis suppositorum, intervenit tamen diversitas realis naturarum. Hanc verò sufficere ad rationem strictæ justitiæ, sic ostenditur. Ea distinctio sufficit ad rationem justitiæ, quæ sufficit ad distinctionem jurium: Sed distinctio jurium optimè salvatur, posita solum distinctione naturarum, cum eo ipso quod est diversitas naturarum, sit libertas distincta, ratione diversarum voluntatum: Ergo &c.

E Confirmatur primò: Obedientia & religio non minùs postulant esse ad alterum, quam justitia; & tamen Christus ut homo propriè obedivit & exhibuit cultum religionis Deo, & consequenter suæ personæ ut existenti in natura divina: Ergo etiam distinctio realis naturarum sufficit ad propriam rationem justitiæ, etsi non sit distinctio realis suppositorum.

Confirmatur secundò: Non requiritur major distinctio inter extrema justitiæ, quam inter servum & dominum: Sed distinctio realis naturarum in eodem supposito, sufficit ad rationem servitutis; nam Christus secundum naturam humanam est Dei servus, servitute naturali, ut docet D. Thomas infra quæst. 20. art. 1. ad 2. Ergo etiam illa sufficit ad strictam rationem justitiæ.

100. Potestque hoc magis declarari in casu quo una persona divina assumeret duas humanitates, tunc enim quis dubitat posse esse actum iustitiæ commutativæ inter eandem personam ut esset in una natura, & seipsam ut esset in alia; siquidem in qualibet ex illis naturis haberet peculiarem voluntatem, libertatem, dominium, & jus distinctum, in quibus fundatur iustitia. Quidni ergo pariter Christus in humana & divina natura subsistens, ut existens in una natura, poterit exercere actum iustitiæ erga seipsum, ut existentem in altera? Licet enim sit tantum unum suppositum entitativè & formaliter, gerit tamen vices diversorum suppositorum; cum enim propter infinitatem suam possit substantialiter in pluribus naturis subsistere, potest etiam quæ plura supposita facerent præstare. Nec mirum quod Aristoteles hoc genus iustitiæ non agnovit, sed ad veram & strictam iustitiam, realem distinctionem suppositorum postulaverit; ipse enim non cognovit duas naturas, habentes duas voluntates liberas, & propria dominia suorum actuum, posse in uno supposito convenire.

101. Dices, D. Thomas 2. 2. quæst. 58. art. 2. dicit quod iustitia propriè dicta, requirit diversitatem suppositorum, & ideo non est nisi unus hominis ad alium; sed secundum similitudinem accipiuntur in uno & eodè homine diversa principia actionis, quasi diversa agentia, sicut ratio irascibilis, & concupiscibilis; & ideo metaphorice in uno & eodè homine dicitur esse iustitia. Quibus verbis aperte docet, ad veram & strictam iustitiam, distinctionem suppositorum requiri, & non sufficere distinctionem naturarum.

102. Sed facile respondetur, D. Thomam loqui de iustitia quæ inter puras creaturas reperitur, in quibus non stat distinctio naturarum, absque distinctione reali suppositorum; non verò de iustitia secundum communem conceptum, & prout inter Deum hominem, & Deum ex alia parte reperiri potest. Unde infra quæst. 20. art. 1. ad 2. docet quod licet servitus & dominium super actionem & passionem fundentur, & agere, non naturæ, sed supposito attribuitur; quia tamen actio naturæ attribuitur, sicut ei secundum quam persona vel hypostasis agit, ideo potest propriè dici quod qualibet hypostasis vel persona sit domina vel serva secundum hanc vel illam naturam. Ergo licet æqualitas quam petit iustitia, super actionem fundetur, & sit diversorum agere potentium, non tamen requirit necessariò distinctionem realem suppositorum, sed tantum naturarum, nisi solum inter puras creaturas, in quibus non stat naturarum diversitas, absque diversitate suppositorum.

§. III.

Explicatur secunda conditio, & satisfactio Christi accommodatur.

103. SECUNDò contra nostram conclusionem arguitur. Ad satisfactionem de rigore iustitiæ requiritur quod non fundetur in gratia creditoris, nam quantum gratiæ miscetur, tantum videtur minui de perfectione iustitiæ: At satisfactio Christi fundatur in gratia Dei creditoris, scilicet in gratia unionis, facta humanitati; hæc enim unio erat necessariò prærequisita ad hoc ut persona Verbi Divini influeret valorem infinitum in suas actiones satisfactorias & meritorias, ut supra diximus: Ergo satisfactio Christi non est de rigore iustitiæ.

A Respondent aliqui, rigorem iustitiæ in satisfactione excludere quidem gratiam factam ex intentione & fine satisfaciendi, non tamen gratiam ex tali intentione non factam. Sed hæc responsio difficultatem non solvit, sed auget, ac roborat: nam humanitati Christi fuit facta gratia unionis ex intentione & fine satisfaciendi; ad hoc enim fuit unita humanitas Verbo, ut Deo fieret condigna satisfactio pro peccato Adami: Ergo si gratia facta ex intentione & fine satisfactionis, impedit rigorem iustitiæ, satisfactio Christi rigoro-
sa non fuit.

Aliorum solutio est, rigori satisfactionis solum obesse quod fundetur in gratia concomitante satisfactionem, non autem quod fundetur in gratia antecedente: si enim Petrus, vel antequam Paulus debitum contrahit, illi gratis centum tribuat, vel post debiti contractionem, non tamen eà conditione ut ex illis centum debitum solvat, sed omnino absolute, poterit Paulus Petro ex iustitia debitum solvere, sicut & contractum emptionis ex rigore iustitiæ celebrare, aliquid ab ipso emendo; & tamen hæc solutio in gratia antecedenti fundatur. Quia ergo gratia supra quam satisfactio Christi fundatur, est omnino antecedens, non impedit quin sit de rigore iustitiæ.

Sed nec placet ista solutio, nisi explicetur juxta ea quæ infra trademus: Tum quia in satisfactione Christi non solum intercessit gratia creditoris antecedenter, sed etiam concomitanter, quandoquidem ipsa satisfactio fuit donum & gratia Dei humanitati facta. Tum etiam, quia quando concurrat aliqua gratia quæ non est remissio, quamvis se habeat non solum antecedenter, sed etiam concomitanter ad solutionem, non obstat satisfactioni de rigore iustitiæ; maxime quando est in materia honoris, quæ non consistit in translatione alicujus dominij, sed in recompensatione quæ fit per morales actiones secundum valorem earum, quia tunc ipsa gratia se habet materialiter ad satisfactionem: v. g. si aliquis dixit in Petrum verbum contumeliosum, & velit illi satisfacere per scripturam, retrahendo quod dixerat, non tamen possit suam mentem scribere, nisi Petrus det ei papyrus, imò nisi simul concurrat cum eo ad litteras exarandas, non ideo minus censetur satisfacere de rigore iustitiæ pro contumelia, eò quod Petrus dederit ei papyrus, & concurrerit adjuvando eum ad litteras formandas quibus formaliter satisfecit; quia hoc non obstante, talis actio computatur pro sufficienti compensatione injuriæ Petro illatæ, cum per eam tantum ei reddat honoris, quantum præcedenti contumeliæ abstulerat. Unde

Melius respondetur, distinguendo Majorem: Ad satisfactionem de rigore iustitiæ requiritur quod non fundetur in gratia creditoris, supplente defectum valoris satisfactionis, & supra valorem operis acceptante, concedo Majorem. In gratia creditoris, supponente, vel dante satisfactioni dignitatem & valorem æqualem, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam licet satisfactio Christi fundetur in gratia unionis, hæc tamen gratia non supplet dignitatis defectum, nec acceptat opera Christi ultra illorum valorem, sed potius dat operibus humanitatis dignitatem & valorem adæquatam, imò & superexcedentem injuriæ gravitatem, & idcirco talis gratia non obstat satisfactioni ex toto rigore iustitiæ. Unde si Authores præ-